DISPUTATIO 9

QVÆSTIONUM POLITICARUM

PRIMA,

De

MAGISTRATU,

Qvam

Juvante Altiſſimo,

In

Illuſtri Academiâ Wittebergenſi,

PRÆSIDE

CLARISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO

DN. M. NICOLAO ZAPFIO,

KÖNIGSEENSI THURINGO, Ampliſs. Facult. Philoſoph. Wittebergenſis Adjuncto,

Publicè defendet

CRISTOPHORUS Eichhorn / GURA-SILESIUS.

Habebitur 31. ad diem Octob. horis mat. in Auditorio Minori.

WITTEBERGÆ,

Excuſa Typis JOHANNIS HAKEN.

ANNO CIↃ IↃC XXVII.

De

MAGISTRATU POLITICO

QVÆSTIO I.

An MAGISTRATUS in Republ. Chriſtianâ ſit neceſſarius?

ETſi hâc in quæſtione totus & Theologorum, & Politicorum Exercitus conſentiat, uno ore affirmans, Magiſtratus officium abſolutâ neceſſitate requiri, nempè non tantùm ad benè eſſe, ſed etiam ad ipſum eſſe Politiæ; adeô, ut quemadmodum Politia non poteſt exiſtere ſine ſubditis: ita quoque Subditi ſine Magiſtratu nec benè, neque etiam planè civiliter vivere poſſe: Anabaptiſtæ tamen, Photiniani, Weigeliani, & Fanatici, neſcio quâ malitiâ ſuffocati, de Magiſtratu Politico eum animo imbibêre errorem, ut ejus officium leve quiddam eſſe, atque inventum humanum exiſtiment, neque aut magnum admodùm commodum ab iis promanare, qui hoc gerant; aut eorum magnoperè neceſſarium eſſe Reipub. Chriſtianæ ac fidelibus protectionem putent. Nec mirum, quod hi Adverſarii Magiſtratum Politicum tam vehementer odio habeant, fugiant, atque execrentur. Notum enim eſt illud non tam Proverbium, quàm Veriverbium: Quò quid ſanctius, & utilius eſt, eò ferè plures habet adverſarios. Ne autem oſores Magiſtratus hanc quæſtionem *ἀλόγως* & ſine rationibus negare videantur, quasdam in medium adducunt, quarum nodos indiſſolubiles eſſe gloriantur. Inter alias *rationem* quandam deſumunt *à ſingulari protectione DEI*, quâ gaudent Chriſtiani. Hinc talem nectunt Syllogiſmum, *Quicunq; ſingulari DEI protectione gaudent, illi non indigent protectione Magiſtratus Poli-*

 tici

cti. Atqui Pij ſingulari DEI *protectione gaudent. Ergò Pij non indigent protectione Magiſtratus politici.* Aliã deſumunt *à pietate, & ſpontaneo obſequio piorum.* Ita argumentantur: *Quicunq; ſpontaneo ſpiritu bonum faciunt, illi non opus habent, ut ad bonum incitentur legibus, & mandatis Magiſtratus Politici.* Verùm hæ rationes atque argumenta non tanti ſunt roboris, ut nullo modo ſolvi poſſint. Ideoque ea, quantum in viribus noſtris ſitum eſt, reſponſionibus ſolvimus ſequentibus. *Ad primi argumenti* Majorem *reſpond.* negando, cujus vitium demonſtramus I. *Indirectè* per *inſtantiam.* Quicunque ſingulari Dei protectione gaudent, illi non indigent protectione Angelorum. Atqui Pij gaudent ſingulari protectione Dei. Ergò non indigent protectione Angelorum. Hæc concluſio eſt abſurda, quæ fluit ex vitioſa propoſitione ab ipſis Magiſtratus adverſariis ita formatã. Ideò II. *directè reſpondemus*, quod nimirum adverſarii committant *Elenchum oppoſitorum*, dum ſingularem Dei protectionem, quã Pij gaudent, principalem, atq; immediatam, & Magiſtratus protectionem mediatam habeant pro ἐναντίοις, quæ duo tamen ſunt ὑπάλληλα. Sic Deus mundum regit ut cauſa *abſolutè univerſalis.* Ergò aſtra non regunt mundum ut cauſæ *ſubordinata* & ἄτοπον. *Ad ſecundum argumentum reſpond.* I. *In Genere*, hoc ex falſa fluere hypotheſi, quaſi verè pij homines ſemper & in omnibus rectè faciant. At hoc tantùm abeſt, ut ita ſit. Annon enim verè pij & regenerati infirmitatis ſibi carnes adhærentes habeant, adeò ut cum verè regenerato & pio *Apoſtolo Paulo* quotidiè conquerendi cauſam reperiant: *Scio quod in me, hoc eſt, in carne mea nihil boni habitat Rom. 7. verſ.* 18? Et annon *Aaron*, *Moſes, David, & Petrus* verè fuerint pii & regenerati? & tamen in omnibus, & ſemper rectè non fecerunt, ſed in graviſſima peccata lapſi ſunt quam ſæpiſſimè. 2. Reſpond. *In ſpecie* ad Majorem, non eſſe illam ſimpliciter veram, ſed hoc modo limitandam. Quicunque ſpiritu ſpontaneo bonũ faciunt. *1. Semper & 2. in omnibus*, illi non opus habent, ut ad bonum incitentur legibus & mandatis Magiſtratus Politici. Sic *Major* limitata quidem vera eſt: at *Minor* falſa. Neque enim verè pij *ſemper & in omnibus* rectè faciunt, ſed ſaltem *aliquando, & in quibusdam.* Et quamvis verè pii ſpontaneo ſpiritu ſemper & in omnibus rectè facerent, & ſic non opus haberent, ut ad bonum incitentur legibus, & mandatis Magiſtratus Politici: tamen propter malos, quibus hac in

vita

vita ſunt immixti, Magiſtratus defenſione indigent, quò ſic ſub ejus patrocinio quietam & tranquillam vitam agere poſſint. Eant igitur Magiſtratus Adverſarij, & fortioribus, ſi poſſunt, Magiſtratus neceſſitatem deſtruant.

QVÆSTIO II.

An Chriſtianus bona conſcientiâ Magiſtratum Politicum gerere poſſit?

Ut, quod Magiſtratus non ſit à Deo, ita quod neque ejus officium Chriſtianus bonâ conſcientiâ poſſit ſuſcipere, multi Magiſtratus hoſtes ſtatuunt. Ita enim quoad prius argumentantur. *Nullum inventum humanum eſt à DEO.* Atque *Magiſtratus eſt inventum humanum. Ergò Magiſtratus non eſt à DEO.* Minorem probant *ex 1 Petr. 2. verſ.* 13. ubi Apoſtolus ordinem Magiſtratus vocat *ἀνθρωπίνην κτίσιν, id eſt, humanam creaturam,* Quoad poſterius: *Quodcunq; officium Chriſtus nemini in N. T. demandavit, illud nullus Chriſtianus bonâ conſcientiâ gerere poteſt. Atqui officium Magiſtratus Chriſtus nemini in N. T. demandavit. Ergò officium Magiſtratus nullus Chriſtianus bona conſcientia gerere poteſt.*

Nos *pro affirmativa* pugnantes ita concludimus: *Quodcunq; officium à DEO trahit originem, annexum habet Chriſti, ſanctorumq; approbationem, & gaudet bono fine, illud Chriſtianus bonâ conſcientiâ ſuſcipere poteſt. Atqui officium Magiſtratus à DEO trahit originem Rom. 13. 1, 2. &c. annexum habet Chriſti, Matth. 22. v. 21. Sanctorumq; approbationem, 1. Tim. 2. v. 2. & gaudet bono fine, Rom. 13. v. 4. Ergò officium Magiſtratus Chriſtianus bonâ conſcientiâ ſuſcipere poteſt. Ad Argumentum primum* reſpond. 1. per *inſtantiam.* Nullum inventum humanum eſt à Deo. Philoſophia eſt inventum humanum. Ergò Philoſophia non eſt à Deo. Concluſio eſt abſurda. Ergò vel Major vel Minor. At non hæc ut palàm eſt. Ergo illa. 2. Per *limitationem.* Nullum inventum humanum *rectæ rationis dictamini deſtitutum eſt à DEO.* At ſic negatur *Minor. Ad teſtimonium Petri* pro probatione aſſumptionis adductum *reſpond.* id noſtram ſententiam non improbare. Nam quod Apoſtolus ordinem Magiſtratus vocat humanam creaturam, id facit *non reſpectu cauſæ efficientis*, quod ab hominibus hæc ordinatio inventa ſit, ſed *reſpectu cauſæ materialis circa quam*, quod nempè hominum propria ſit, & inter

hominem conſtituta. Committitur ergò hic *fallacia cauſæ, & à dicto ſe-*
cundum quid ad dictum ſimpliciter. Ad 2. *Reſpond.* in Majori eſſe in ſuf-
ficientem enumerationem,quidefectus ſic compleri poteſt ac debet:
Quodcunque officium Chriſtus nemini in N. T. *nec* demandavit, *nec*
approbavit, illudnullus Chriſtianus bonâ conſcientia gerere poteſt.
At ita rurſus negatur *Minor.* Nam officium Magiſtratus Chriſtus
approbavit Matth. 22, v. 21. Committitur ergò hic *fallacia cauſæ: ut*
& petitionis principij.

QVÆSTIO III.

An Magiſtratus Tyrannicus cauſam efficientem DEUM habeat?

Multi ſunt, qui circa hanc quæſtionem in *exceſſu*, *& defectu* pec-
cant, In *exceſſu*, qui ſimpliciter nagativam defendunt. In *defectu*, qui
Magiſtratum Tyrannicum quidem à Deo eſſe dicunt, ſed tantùm per-
miſſivè. Nos memores illius, Medio tutiſſimus ibis, mediâ viâ in-
cedentes, ſtatuimus hanc quæſtionem, geminâ adhibitâ diſtinctio-
ne, & planam & perſpicuam evidere poſſe. Ac initiò probè diſtin-
guendum eſt *inter Rem ipſam, ſive Magiſtratum, ſive Poteſtatem Politi-*
cam in ſe conſideratam, quæ à Deo eſt: *& inter abuſum rei, ſive Tyrannidem*,
quâ Magiſtratus eſt præditus, quæ non eſt à Deo ſed à Diabolo, &
pravâ hominum voluntate. *Deinde* diſtinguendū eſt *inter Tyrannidem*
ratione culpæ & pœnæ conſideratam. Tyrannis ratione culpæ conſiderata
non eſt à Deo. *Quia non eſt DEUS volens iniquitatem* Pſalm. 5. verſ. 5.
Tyrannis verò ratione pœnæ conſiderata omninò à Deo eſt, ſecun-
dum illud *Prophetæ: Non eſt malum in civitate, quod non fecerit Dominus,*
Amos 3. verſ. 6. Deus enim malos principes, & ſic conſequenter etiam
Tyrannos regnare ſinit ob peccata populi, ſicut dicit apud *Prophe-*
tam: Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea Oſea 13.
verſ. 11. Hiſce itaque præmiſſis diſtinctionibus facilè apparet pro-
poſitam quæſtionem non eſſe inſtitutam de Magiſtratu impio, &
Tyrannico, ut impio, & Tyrannico, ſed ut divinum officium in his
terris adminiſtrante. Hinc jam noſtra ſit adſertio Magiſtrarnm
Impium & Tyrannicum divinum officium adminiſtrantem eſſe à
Deo. Id quod ſequenti Syllogiſmo probatum damus: *Omnis Ma-*
giſtratus

giſtratus eſt à DEO. *Quidam Magiſtratus eſt impius ac Tyrannicus. Ergo quidam Magiſtratus, qui eſt impius ac Tyrannicus, eſt à* DEO. *Major* eſt Apoſtoli Pauli *Rom.* 13, *verſ.* 1. *Minor* Experientiæ. *Concluſionis* itaq; etiam immota ſtabit veritas.

QVÆSTIO IV.

An illud; Solus DEVS habet poteſtatem vitæ & necis, poteſtatem Magiſtratus tollat?

Ita quidem multis Magiſtratus hoſtibus arridet; quando ſic colligunt: *Solus DEus habet poteſtatem vitæ & necis. Atqui Magiſtratus Politicus non eſt DEVS. Ergo Magiſtratus Politicus poteſtatem vitæ & necis non habet. At nos negamus* hoc Syllogiſmo. *Quæcunque poteſtates ſibi invicem ſubordinantur, illæ ſe invicem tollere nequeunt. Atqui Poteſtas* DEI, *& poteſtas Magiſtratus ſibi invicem ſubordinantur. Ergò ſe invicem tollere nequeunt. Ad argumentum in contrarium adductum* Reſpond. adhibendo diſtinctionem inter poteſtatem abſolutam, & limitatam. Illam ſoli DEO; hanc Magiſtratui Politico concedimus. Limitamus itaque propoſitionem majorem, & dicimus: Solus DEUS habet poteſtatem vitæ & necis *abſolutam. Et pergimus.* Atqui Magiſtratus non eſt DEUS. Ergò Magiſtratus non habet poteſtatem vitæ & necis abſolutam. *Quâ ratione totum conceditur argumentum.* Nihilominus tamen manet Magiſtratum Politicum poteſtatem vitæ & necis habere limitatam. Qui autem poteſtatem DEI abſolutam Magiſtratus Politici poteſtati limitatæ opponunt, craſſum *Elenchum oppoſitorum* committunt. Subordinata namque ſe non deſtruunt.

QVÆSTIO V.

An Magiſtratus concedere poßit, ut libri Ethnicorum in Scholis Chriſtianorum legantur?

Videtur quod non. Cur? quia *multis ſcatent erroribus & vitiis. Quicunq; libri multis ſcatent vitiis & erroribus, illi in Scholis Chriſtianorum non ſunt legendi. Atqui libri Ethnicorum multis ſcatent vitiis & erroribus. Ergò. Verum enimverò ſententia affirmativa veriſſima.* Etenim I. In libris Ethnicorum multa etiam habentur vera atque utilia. Nulla proindè cauſa, quamobrem Magiſtratus non poſſit concedere, ut ij in ſcholis

Chriſtia-

Chriſtianorum legantur. *Adde* 2. quod in libris Ethnicorum multæ ſint comprehenſæ virtutes, quibus Juventus ſtudere poteſt & debet: *Adde & hoc* 3 quod *Daniel & Paulus* Ethnicorum libros legerint. At ſi hi nihil utilitatis ex ijs haurire potuiſſent, eos nō legiſſent. Ad argumentū negativam ſuadere volens. Reſp. Majorem pati inſtantiam; adeoque non eſſe ſimpliciter veram. Subſumere enim poſſum *de libris Bibliorum hoc modo. Atqui* in libris Bibliorum multi habentur Sanctorum errores & vitia. Ergonè libri Bibliorum in Scholis Chriſtianorum non ſunt legendi? Abſurdum hoc abſurdiſſimum. Major itaque ſic limitanda erit: Quicunque libri multis ſcatent vitijs & erroribus, *ita ut ad illos errores perpetrandos Juventus cogatur*, illi non ſunt legendi in ſcholis Chriſtianorum. At ſic limitatâ Majore propoſitione *negatur Minor*. Nam Juventus ab ijs, qui in Ethnicorum libris reperiuntur, erroribus, ne tales vel ſimiles committant, dehortantur. Committitur ergò in hoc argumento *fallacia cauſæ, & à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter*: quod quomodo fiat, in conflictu mōnſtrabitur. Pergendum enim ad alias Quæſtiones.

QVÆSTIO VI.

An Magiſtratui conceſſum ſit munera accipere?

Pro *negativa* pugnare videtur Lex divina, quæ expreſsè perhibet *Deut.* 27, *verſ.* 15. Maledictus qui munera accipit. Pro *affirmativa* militat exemplum *Iacobi*. Quippe qui Eſavum placavit muneribus *Gen.* 33. *verſ.* 8. & Joſepho in Ægyptum miſit munera *Gen.* 43. *verſ.* 11. Verum nos breviſſimè reſpondemus per diſtinctionem. Non licet munera dare ad corrumpendum Judicem, nec accipere ad pervertendum judicium ſicut hæc cauſa additur *Deut.* 27. *verſ.* 25. Non autem damnantur munera honoraria, quæ dare eſt ſignum obſervantiæ, gratitudinis, & amoris: accipere verò eſt ſignum animi benevoli & ad gratificandum ſe obligantis.

QVÆSTIO VII.

An Magiſtratus hæreticos vitâ privare queat?

Multo

Multos ante extremum diem venturos hæreticos prædixerunt Chriſtus & Apoſtoli. *Chriſtus Matth. 24. verſ. 6. Apoſtoli. Paulus 1. Cor. 11. v. 19. Petrus 2. Petr. 2. verſ. 1.* Quæ vaticinia ſi unquam impleta ſunt hiſce profectò turbulentiſſimis temporibus, in quibus tam multi hæretici inveniuntur, ut vix numerari queant. De his itaque hæc quæſtio inſtituta eſt, & quæritur. An Magiſtratus tales hæreticos vitâ privare queat? Ad quam quæſtionem diſtinctè reſpondendum eſſe cenſemus: Vel enim quæritur: de *ſeductis & ſimplicibus*; vel de *ſeductoribus, & manifeſtè blaſphemis, rebellibus, & ſeditioſis. Seductos* & *ſimplices* quod attinet, qui errorem quidem ſuum privatim fovent, ſed parati ſunt cedere meliora docentibus, tantùm abeſt, ut è medio tollantur, ut potius cum omni manſuetudine informentur. *Sic enim B. Lutherus ſcribit in expoſitione parabolæ de zizaniis. Docemur, inquit, quomodo nos gerere debeamus erga hæreticos. Non enim eos extinguere, & exſcindere oportet. Apertè enim hic Chriſtus ait: Sinite creſcere utraque: ſolo DEI verbo contra eos agendum. Ita enim hac in re evenire ſolet, qui hodiè erret, cras poßit redire in viam. Quis enim novit, quomodo DEI verbum cor cujusquam attracturum ſit? Si autem exuratur, vel aliàs tollatur, certè impeditur, poßit in viam reduci: imò jam eum perire neceſſe ſit, qui aliàs potuiſſet ab errore liberari.* Sed de *ſeductoribus manifeſtè blaſphemis, rebellibus, & ſeditioſis* longè aliter ſtatuendum eſt, Quippe cum ſcientes volentesque publicè non modò diras blaſphemas in Deum, & religionem evomant; ſed etiam rebellionem, motus, & ſeductiones contra Magiſtratum, ejusdemq; dicta moliantur, ac excitent, tum tales Magiſtratum capite plectere poſſe ac debere omninò ſtatuimus. Obſervandum autem hoc caſu Magiſtratui, ut tales hæreticos interficiat, non ut *hæreticos*, ſed ut *ſeditioſos & blaſphemos.* Verùm longè aliter Papiſtæ, & Jeſuitæ de hac quæſtione ſentiunt. Illi enim nullum diſcrimen inter hæreticos attendunt, ſed quoſvis à Romana religione alienos, ſive *ſeditioſi* ſint, ſive *ſimplices hæretici* Magiſtratum abripere, & pœna capitali mulctare poſſe multis rationibus atque argumentis probant, quorum unum hîc ſaltem appono, quod ita ſe habet. *In quos Magiſtratus habet jus gladij, illos gladio interficere poteſt. Atqui in hæreticos jus gladij habet. Ergò hæreticos interficere poteſt.* Ad hæc argumentum reſpond.

ſpond. I. per *Inſtantiam.* In quoscunque Magiſtratus habet jus gladij, illos gladio interficere poteſt. Atqui in libidinoſos, avaros, lurcones atque otioſos Magiſtratus jus gladij habet, Ergò illos gladio interficere poteſt. Concluſio eſt abſurda: quia ſic novus mundus eſſet conſtituendus, cum pauci reperiantur, qui hoc modo aciem gladij iſtius effugere poſſent. Ergò vel Major vel Minor. At non hæc. Relinquitur Ergò quod illa. II. Per *Limitationem.* In quoscunq; Magiſtratus habet jus gladij, illos etiã interficere poteſt, *nempe mortem promeritos.* At limitatâ ſic majore negatur *aſſumptio.* Nam non omnes hæretici mortem promerentur, ſed tantum manifeſtè blaſphemi & ſeditioſi. Committitur ergò in Minore *fallacia cauſæ.* Nam licet Magiſtratus jus gladii habeat in hæreticos; hoc tamen vera cauſa non eſt, ob quam eos interficere poteſt, ſed requiritur potiſſimum id, ut ij, in quos Magiſtratus jus gladij habet, mortem etiam ſint promeriti. Quapropter breviter ad hoc argumentum reſpond. A poſitione juris gladij ad ipſius exercitium non valet conſequentia.

QVÆSTIO VIII.

An Magiſtratus pius cum bonâ conſcientiâ in Repub. lupanaria ferre poſſit?

Omnibus Jeſuitis *affirmativa* placet, propterea I. quod pij Patres illa tollerârint, & 2. quod eorum finis bonus ſit. Nam ideò tolerantur lupanaria, inquiunt, ut honeſtis matronis parcatur Sed nobis *negativa* arridet. Nam Scriptura I. in *genere* dicit: Non eſſe facienda mala, unde eveniant bona. *Rom.* 3. *verſ* 8. II. In *ſpecie* meretrices non eſſe in certo urbis loco ferendas, ſed juxta legem è Repub. tollendas, ſicuti expreſsè dicitur *Deut.* 23 *v.* 17. Non erit meretrix è filialibus Iſrael. *Adde*, quod omnia irritamenta ad mala perpetranda è conſpectu Chriſtianorum procul ſunt arcenda. At lupanaria talia ſunt. Nam hæc multos ad illicitam Venerem alliciunt, qui alias de ea ne cogitaſſent quidem. Quis enim poteſt fovere carbones in ſinu ſuo, ut non ardeat, inquit Salomon in Prov 6. 27. Ad quæ verba Ambr. in Pſal. 119. ſcripſit. Quis exiſtimet metrices foveri poſſe in civitate, ut Juvenes non ſcortentur. Ad *primum argumentum*

tum reſpond. I. *Indirectè* & per *inſtantiam*. Quicquid pij Patres tollerarunt, illud etiam pius Magiſtratus in Repub. tollerare poteſt. Atqui pij Patres tollerarunt Polygamiam. Ergò pius Magiſtratus eam etiam tollerare poteſt. Concluſio eſt abſurda: quippe quæ è diametro Scripturæ repugnat. Vitium igitur erit in præmiſſis. At nullum eſt in aſſumptione. Ergò in propoſitione. II. *Directè* & per *limitationem*. Quod pii Patres tollerarunt, *nempè juxta legem & voluntatem* DEI, illud etiam pius Magiſtratus tollerare poteſt. At ſic negatur *minor*. Deinde *reſp. ad minorem propoſitionem* I. Jeſuitas pijs Patribus injuriam facere, ſiquidē ex eorum ſcriptis vix demonſtrare poſſunt, quod lupanaria tolleraverint. 2. Etiamſi pii Patres publica lupanaria tolleraſſent, non tamen noſtra ſententia eò infringeretur. Nam hîc non quæritur quid factum ſit, ſed quid fieri debeat. Ad II *argumentum* reſpond. iterum *indirectè* & per *inſtantiam*. Cujus finis bonus eſt, ipſum quoque bonum eſt. Atqui Latrociniorum finis bonus eſt, qui opum ac divitiarum acquiſitio eſt. Ergo ipſa latrocinia bona ſunt. Si autem ſunt bona Ergò tolleranda. Concluſio iterum eſt abſurda. Ergò vel *major* vel *minor*. At non *minor*. Ergò *major*. II. *Directè* diſtinguendo inter bonitatē extrinſecam & intrinſecam. Media & hoc loco lupanaria ob finem bonum, ſunt quidem bona extrinſecè & ut ſunt media: non tamen intrinſecè, quo pactu[m] tollerari nequeunt.

QVÆSTIO IX.

An liceat contra Turcam bella gerere & pugnare?

Nonnulli è grege Calvinianorum faciunt, ut etiam hanc quæſtionem attingamus. Quippè eam in dubium revocant. Sed quo fundamento? planè infirmo. Ita enim argumentantur. *Quicquid eſt flagellum* DEI, *contra id non eſt pugnandum. Atqui Turca eſt flagellum* DEI. *Ergò contra Turcam non eſt pugnandum.* Nos tamen *affirmamus*. Nam ſi *Magiſtratus Chriſtianus contra alios hoſtes Evangelij pugnare poteſt, utiq; & contra Turcam pugnare poterit. Sed prius eſt verum. Ergò & poſterius.* Ad *argumentum negativum* reſpond. I. per *inſtantiam*. Quicquid eſt flagellum DEI, contra id non eſſe pugnandum. Diabolus eſt flagellum DEI. Ergò contra Diabolum non eſt pugnandum. Concluſio eſt

abſurda,

abſurda. Quippe quæ Scripturæ repugnat. Hæc enim *expreſsè* dicit: *Reſiſtite Diabolo, Iacob. 4. verſ 7.* Abſurda igitur erit vel *Major*, vel *Minor*. At non *hæc*. Conceditur enim ab ipſis adverſarijs. Ergò *illa*. 2. Per *limitationem*. Quicquid eſt flagellum DEI. contra id non pugnandum, *nempè juſſu & mandato* DEI. At limitata majore propoſitione cadit *aſſumptio minoris*. Nullum enim mandatum ſacris in literis habetur, quod DEUS mandârit, contra Turcam non eſt pugnandum. Committitur ergò hic *fallacia petitionis principij*.

COROLLARIA.

An Magiſtratus furem ſuſpendere poſſit? A.

An in Magiſtratu probandum, quod corpora facinoroſorum in rota, vel patibulo inſepulta relinquat? A.

Num Pontifex Romanus ſit Tyrannus? A.

FINIS.